

fructum aliquem ex suis laboribus. At cognitis his tabulis, non solum eximitur animis desperatio, sed animaduersa tam facili computatione, spes et magnitudo utilitatis generosa ingenia ad discendum accendunt. Quæ est autem diuinitas, tam breui uia, tam paruo negotio consequi summam artis, ut positum cœli considerare posse, quorumcunq; annorum? Quis non miretur tam breui libello tot annorum descriptionem includi posse? Mirentur alij ligneas columbas, aut alia opera automata. Hæc tabulæ multo magis sunt dignæ admiratione, quæ omnium siderum positus ostendunt, nec unius tantum anni, sed multorum seculorum. Hæc eò præfatus sum, ut admonerem iuuenes, qui hæc lecturi sunt, & quantum debeant Schonero iuuant publicæ studia editione talium librorum, quibus in Scholis opus est, deinde ut utilitate harum tabularum excitati ad discendum inuidentur. Illa admonitione hoc loco non putauit opus esse, ne se ab his artibus studiosi deterreri sinant, insulsissimis iudicijs indoctorum, qui totum hoc genus doctrinæ de rebus cœlestibus superbissime derident. Nam mediocriter eruditi in philosophia facile iudicare possunt, magnam cum dignitatem, tum suauitatem, & utilitates ingentes esse doctrinæ de motibus siderum. Hoc mirificum spectaculum, uidelicet tot pulchra lumina, tam uarios cursus, qui miras uices certissimis legibus conficiunt, non frustra posuit nobis ob oculos Deus, sed uoluit ut nos inde anni descriptionem, & temporum spacia, uicesq; sumeremus, & diuersa temperamenta annorum prospiceremus. Postremo ut hic pulcherrimus ordo motus, & consensus moneret nos de opifice, hæc non extitisse casu, sed ab aliqua æterna mente esse orta, & gubernari. Quare generosa ingenia decet abhorere auribus atq; animis ab Epicureis illis, qui hanc certissimam motuum scientiam aspernantur. Magna uero etiam uis & utilitas est etiam alterius partis, uidelicet doctrinæ prædictionum, quæ sumuntur à causis cœlestibus. Nam & Galenus autor grauissimus affirmat affici animantium corpora à lumine planetarum, magnamq; uim omnium planetarum esse in temperamentis & miscendis & turbandis. Et quidem grauitè reprehendit eos qui dissentiunt. Ait enim experientiam manifestam testari hanc uim esse siderum; Sophisticum uero esse, negare manifestam experientiam. Multa iudicari possunt ex positu Astro- rum de ualetudine corporum, de ingenijs & inclinationibus, deq; multis in uita casibus, de tempestatibus, de mutationibus rerum pub. Plurimum aut tantarum rerum consideratio & animaduersio conducit prudentibus. Nec pugnat religio Christiana cum hac sententia, nec damnat has prædictiones sacræ literæ. Sunt enim pars quædam physices, sicut Medicorum prædictiones. Sumuntur enim à causis naturalibus. Diuinitus alia uis est indita Soli, alia Lunæ, ut uis est alia piperis, alia maluæ, & pi-
um est agnoscere opera Dei, & obseruare uires illis inditas.

Sed